



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Capitvlaria Regvm Francorvm

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae  
doctissimorum virorum

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1677**

Clarissimi Viri Iacobi Sirmondi Praefatio Ad Capitvla Karoli Calvi Edita anno  
MDCXXIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-22974**



CLARISSIMI VIRI  
IACOBI SIRMONDI  
PRÆFATIO  
AD CAPITVLA KAROLI CALVI

Edita anno MDCXXIII.

**K**AROLI Calvi & sequentium aliquot  
Franciæ Regum Capitula, publico jam  
olim à Petro Pithœo post Karoli Mag-  
ni & Ludovici Capitulorum editionem  
promissa, tibi nunc tandem, LECTOR, impar  
fortasse, sed non invitus alieni nominis hæres ex-  
solvo. Nec Capitula modò sunt ista, quæ damus,  
sed aliquid amplius Capitulis. Hoc enim inter Pi-  
thœana & nostra interest, quòd in Ansegisi Ab-  
batis & Benedicti Levitæ collectionibus, quas Pi-  
thœus edidit, nudæ Regum ac meræ sunt le-  
ges, quæ Capitula vocabant, nullo ferè ordine  
digestæ, nullaque temporum vel locorum nota  
distinctæ. In his nostris synodi & conventus ipsi  
regales, in quibus constituta fuerunt Capitula,  
exhibentur, & quo quique anno ac loco, quas  
ad res, & per quos coacti celebratique sint, ex-

Tom. II.

ij



pressum est. Quod genus omnia, quæ Karoli nostri ævo acta fuisse constat, si consequi nobis, aut hæc ipsa quæ nacti sumus integra & absoluta reddere licuisset, lucem profectò, quam illustrandæ illorum temporum historiæ non modicam adferunt, maximam præberent. Erunt, ut spero, quos conatus hic noster excitet ut plura conquirant & suppeditent. Nos hæc interim ex diversis collecta locis, sed è quinis potissimum, si tua hoc scire interest, antiquis codicibus excerptimus. Nam cum primi duo, quorum alter in Tiliana, alter in Thuanæa nunc est bibliotheca, ultra titulum XVI. non procederent, quæ sequebantur, partim ex Bellovacensis, partim ex Laudunensis Ecclesiæ libris, partim etiam ex Metensi nostro corrogata supplevimus. Coronationes autem Regum, quas Capitulis subjecimus, unicum è sancti Laurentij monasterio Leodiense nobis exemplar subministravit. De meo sanè, præter titulorum numeros & nomina, quibus longiores manuscriptorum titulos commodioris, ut rebar, usus gratia prænotavi, nihil adjectum. In quo ipso non fefellisse me judicium credam, **LECTOR**, si probaris; & de Notis, quas amici extorserunt, non inconsultò cessisse, si non rejeceris. Vale.